



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Het Paradys Der Gheestelijcke En Kerckelycke
Lof-Sangen, Op de principaelste Feest-daghen des
gheheelen Jaers**

Afhakker, Aegidius

T'Shertogenbosch, 1627

Psalmvs 113.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55083)

vt collocet eum cum principibus : cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum letantem.

Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS II 3.

IN exitu Israel de Ægypto : domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.

Mare vidit, & fugit: Iordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium

Quid est tibi mare, quòd fugisti: & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra: à facie Dei Iacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.

Oshabent, & non loquentur: oculos habent,
& non videbunt.

Aures habent, & non audient: nares habent,
& non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt, pedes ha-
bent, & non ambulabunt: non clamabunt in
guttore suo.

similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui
confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: adiutor eo-
rum, & protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adiutor
eorum, & protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domi-
no: adiutor eorum, & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: & benedixit no-
bis.

Benedixit domui Israel: benedixit domui
Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: pu-
illis cum maioribus.

Adjiciat Dominus super vos: super vos, & su-
per filios vestros.

Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum &
terram.

Cælum cæli Domino: terram autem dedit fi-
liis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque om-
nes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino: ex

hoc nunc & usque in seculum.

Gloria Patri, & Filio.

Canticum B. MARIÆ virginis.

LUC. 1.

Magnificat: anima mea Dominum.
Et exultavit spiritus meus: in Deo salu-
tari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce
enim ex hoc beatam me dicent omnes genera-
tiones.

Quia fecit mihi magna qui potens est: &
sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in proge-
nies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit su-
perbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit hu-
miles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit
inanes.

suscepit Israël puerum suum: recordatus mi-
sericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham
& semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, & Filio.